

a te tribulationem auferet omnemque molestiam exturbabit^a. Et sicut poteritis informari per eos, qui de nostra vicinia^b in vestra sunt comitiva, civitas vestra Bisunt(in)a talis est et in tali parte imperii vestri situata, quod si per vos ad feliciorum statum fuerit reducta, utilior vobis et magis necessariam pro imminentibus negociis eam poteritis invenire, absque hoc quod in Italia contra rebelles et inimicos iusticie pacis et concordie emulatores peregrinum auxilium transnitemus, cum nec sumptus nec vires nobis ad hec sufficiant, sicut verissime novit ille, qui nichil^c ignorat [et] extitit superius declaratum^d. Dominus autem omnipotens contradat^e satanam et omnem adversariam nationem sub pedibus vestris et ita pax et victoria vobis de celo administretur, quod populus christianus sub vestro regimine diucius pacifice et quiete se gaudeat gubernari. Amen.

XXVIII. König Karl IV. verleiht dem Grafen Johann von Chalon-Auxerre ein Münzprivileg. 1353 Oct. 30.

Or. Besançon, Archives départementales B. 378.

Karolus Dei gratia Romanorum rex semper augustus et Boemie rex. Magnifico Iohanni comiti Autissiodoren(s)i consanguineo et principi nostro dilecto gratiam regiam et omne bonum.

Exigunt tue merita probitatis, ut petitionibus tuis ex liberali munificencia regia favorabiliter annuamus. Ut igitur in castro tuo de Orgelet Bissuntinensis dyocesis moneta aurea et argentea, alba et nigra, que legitimo pondere et caractere non fraudetur et alias iuxta modum debitum sit dativa, ab hiis quibus hoc tu seu tui heredes committendum duxeritis cudi et fabricari libere valeat atque possit, tibi et tuis heredibus ac legitimis successoribus intuitu premissorum de regalis munificentie gracia nunc et imperpetuum cudendi et fabricandi monetam huiusmodi plenam et liberam auctoritate Romana regia damus et liberaliter concedimus tenore presencium facultatem. Nulli ergo omnino hominum, cuiuscunque status preeminencie vel condicionis existat, liceat hanc nostre concessionis et liberalitatis gratiam et paginam infringere aut ei

a) 'exturbabit' Cop. b) 'v' über 'g' Cop. c) 'nichl' über 'niit' Cop. d) 'ext. — decl.' zeigen andern Ductus und sind wohl nachgetragen am Schluss der Zeile. e) 'contra' Cop.